

Verf.: Andreas Helwig.

Quæstionis

ANNE CERTUM ALI-
QVOD ANTICHRISTI NO-
MEN EXTET, CUI NUMERUS

ILLE APOCALYPTICUS

(DC. LXVI.)

exactè congruenterq; insit;

& quòdnam illud sit;

APODICTICA TRACTATIO.

authore

M. ANDREA AGLÆONIO IRENOCHORÆO.

457

Rev. & excell. Viro

D. DAVIDI CHYTRÆO

in Academia Rhodopolitana

Theologo clarissimo

et de Ecclesia CHRISTI bene merito;

honoris & gratitudinis ergò dedicata.



G R Y P H O S Y L Æ

ex officina Tinctoriana.

Anno Salutaris

sesquimillesimo centesimo.

CL. V. Dn.
M. CHRISTOFERO

IRIUS FILII DEI

ava pamp.
a vici de filiis,
iis devii Laici.
fuy clavis DEI, i, i, i.

82.

EPIGRAMMA

ad

PRINCIPEM SACERDOTUM ROMAN.
omnes Scizontes præter unum.

Tu judices, utrum malis,
VICARIUSⁿ appellari
FILI DEI, an PASTOR dici
OVILIS appetas CHRISTI;
Sed non nisi ORDINARIUS.
Utrimq; tibi tuus constat
Honosq; nomenq; & laudes:
Utrimq; numero Antichristi
Gaudebis, absoluto omni
Ex parte. Sed, me si tu audis,
Posterius hoc minus honoris
Habere tibi paret: quare
Priori ut acquiescas, sum
Suasor tibi. nam quæ malis,
Non video, Pastor inamæni
Ovilis, atq; DEI dici
Vicarius: majestatis
Hoc plus habet, humilitatis plus
Pra se alterum fert. sed mores
Et vita quam oderunt, vita
Quoq; nomine. Hei quàm te primus
Posthac decebit in Patris
Regno tui accubitus Patrem!

A. H. F. M.



A P O D I X I S
nominis Antichristici,

*cui verè competit enigmaticus ille numerus, qui ex-
tat Apocal. 13. v. 18.*

ἑρωγμὶ ζητήσεσθαι.

ARdua sanè quæstio est de ANTICHRISTO:
venerit nec ne; & si venerit, quòdnam e-
ius verum sit ac genuinum nomen à S. Io-
hanne in Apoc. præfiguratum, cui exactè
convenienterq; insit ille ibidem annotatus numerus
triplicis senarij, 666.

Sanè Vulcanus ille Romani Iovis Robertus in
quintuplicis commentarii de Ro. Pontif. lib. 3. qui
totus in disputatione de Antichristo consumitur,
cap. 10. variis in medium productis Ecclesiæ Docto-
rum ea de re sententiis, neq; satis convenientibus iis;
tandem concludit pro salvando suo pontifice: Ve-
rissimam esse sententiam eorum, qui ignorantiam
suam falsi dicant, adhuc ignorari nomen Antichristi;
quod olim futurum sit notissimum, cum ille venerit.
Unde argumentum insolubile confici putat ad pro-
bandum, Romanum Pontificem non esse Antichri-
stum, adeoq; ipsum Antichristum nondum venisse.
Nam (inquit) si Antichristus venisset, atq; is esset
Rom. Pontifex, certò constaret de nomine eius, à
Iohanne prædicto.

πρόβλημα.

Sed quid si dicamus, omninò constare de Antichri-
sti nomine, ex debitis suis constante numeris?

A z

τόδε.

Etenim persuasissimum hoc est nobis, & de meliori fundamento penitus exploratum: aut jam non ita nuper regnare cœpisse Antichristum, qui nomen illud mysticum teneat; aut cuius (uti Papistæ volunt) malitia in nervum aliquando erumpat, Antichristum nunquam fore ullum.

At verò non quæritur tale nomen, qualia vel sexcenta, partim ex superiorum Scriptorum commentationibus desumi, partim nova inventione expromi cocervariq; possent: verùm huiusmodi quoddam, quo non tantùm iste exactè contineatur numerus; sed quod ambiguum minimè sit, ac deniq; non ab adversariis inventum, aut impositum Antichristo; sed quod ipse sibi propria autoritate usurpet, & in quo gloriatur, adeò ut jubeat inscribi in frontibus hominum. Has namq; conditiones eius nominis meritò requirit, & ex Iohanne Theologo urget Iesuita Politianus.

Equidem Antichristos esse plures non ignoramus, quoquo modo Christum oppugnantes: sed cum Antichristum dicimus, quendam eximium CHRISTI hostem, qui ab Apostolo 2 Thes. 2. κατ' ἔξοχῶν ἀντιχριστῶν appellatur, intelligimus: cuius mysterium iniquitatis, primitivæ statim Ecclesiæ tempore agi cœptum est, Pseudapostolis Verbum Dei cauponantibus, & immortalis Verbi gloriam paulatim in mortalis politeumatis & imperii similitudinem trans-

fingen-

fingentibus: usq; dum id ita tandem est effectum, ut utriusq; etiam imperii habenas ac jurisdictionem per manus operamutuo tradita sibi vendicarit ἐκεῖ ὁ αὐτίχῃ, non eius tantum, quod sibi proprium effecerat; sed & istius, quod Magistratui DEUS Opt. Max. commendaverat.

Διορισμὸς τῶ ζυτῶν.

Huius ergo Antichristi nomen ex præscriptis conditionib. si produxerimus, nemo non statim intelliget, Antichristi non tam nomen hæctenus fuisse ignotum, quam numerum in eo parum diligenter observatum. Nempe hoc illud esse ostendam: VICARIUS FILII DEI, seu: VICARIUS CHRISTI in Ecclesia sacrosancta.

κατασκευὴ πρὸς ἀπόδειξιν.

I. ἀνωτιθέητος est inter Christianos omnes, quotquot Christo potius ἀρχιποίμην, quàm τῶ ἀρχιεπισκόπῳ, seu (ut commodius loquar) ψευδοποίμην, Vicario nomina sua dederūt; Antichristum venisse, & jam olim quidē venisse, tela prævaricationis istius inde usq; ab Apostolorum sæculo texti cœptā, ac deinceps circa annum CHRISTI 600 per texta, in Romana Babylone; unde (ne Romam significari dubites) priorem suam Epistolam edidit B. Petrus, ipsis Pontificiis scriptoribus uno ore affirmantibus, in primis eo qui nunc restim ducit, Bellarmino lib 2. de Rom. Pont. cap. 2.

II. Antichristus nullo modo est homo singularis, unus tantum, & omni successore carens: id quod ex articulo præposito in dictis B. Pauli 2. Thes. 2 & Iohannis 1. cap. 2. Iesuita evincere conatur, &

A 3 quasi

quasi palmarium quoddam repperisset, ita triumphat: Et sanè (inquiens) mirum est, nullum aduersariorum, qui tamen jactant linguarum peritiam, hoc animadvertisse, lib. 3. cap. 2. ~~fol.~~ 839. Nam quod ait Epiphanium docere, articulos Græcos contrahe-
re significationem ad unam rem certam; id ipsum vulgares etiam nostri cum doceant Grammatici, aliter nihilominus sæpè docet experientia, & sacrarum præcipuè literarum lectio probat, hoc discriminis non esse perpetuum. Ex plurimis namq; exemplis unum saltem in medium adferam, quod extat Matth. capite 18. v. 15. *ἴσ. ἰὰν ἁμαρτίαν εἴς σε ὁ ἀδελφός σε, καὶ λαίπα*
Quæso numquid hic ad certam personam astringitur significatio per articulum; nisi quis stultè opinetur de S. Andrea Petri germano loquutum istic esse Dominum? Quod si cui parùm satis hoc facit exemplum, audiat illud quod legitur Lucæ II. v. 18. *εἰ καὶ ὁ σατανᾶς ἐφ' ἑαυτοῦ διμεγίσθη, καὶ λαίπα* tibi profecto non de ipso tantum Dæmoniorum principe Seruator loquitur; sed de toto malorum geniorum ordine.

III. Nomen Antichristi vix est, nisi in ea lingua, qua ipse utitur, investigandum. Nam cum in lingua etiam Græca sese aliquod offerat, Antichristo non malè conveniens; fortassis etiam in Hebræa (si periculum fiat) occursum sit: videtur tamen ille habere, quod excipiat, dicatq; , suæ sibi gentis & Ecclesiæ idioma competere; ideoq; nolle se alio quàm isto, hoc quidem casu, nuncupari: quomodo veri CHRISTI venerabile nomen octo monadibus, totidemq; decadibus ac hecatontadibus olim a Sybilla definitum, non alibi suam invenerit explicationem, quàm

quàm in ea lingua, in qua ipse Salvator per Apostolorum suorum literas & monumenta volebat innotescere: unde jam omnes omnino sciunt, etiam Turcæ, Iudæi, Pagani, cum IESUM (ΙΗΣΟΥΣ) appellari.

IV. Nomen illud oportet non esse vagum aut ambiguum; sed quod & ipse Antichristus unice agnoscat, h. e. maximè amplectatur, atq; in eo gloriatur, & quo vel solo vicissim ab omnibus, velut ex ungue leo agnoscat. Etenim qui ingenio fuerit non planè hebeti, inventurus facili negotio est alia (non ausim dicere quot) confinilia, eundem numerum continentia; sed non omnia æquè aptè quadrantia.

ἔπος αἰς.

Quodcumq; ergo nomen Latinum tale est, ut & expressè reddat istum numerum mysticum 666. & Antichristo Rom. h. e. ordini Papali planissimè competat: neq; tamen interim sit odiosum aut vile, ab adversariis & invidis; sed ab ipsomet Antichristo sibi inditum; quippe in quo gloriari queat (vide Bellar. lib. 3. de P. R. cap. 10. ~~fol.~~ 871:) id verum est ipsius Antichristi nomen; adeoq; Antichristum venisse evincit.

Ecce autem præsens hoc (*Vicarius Filij Dei*) per omnia tale est, quale requiritur. Nam primò numerum illum Apocalypticum exactissimè reddit; deinde ordini Papali per se, toti semperq; convenit; quod nemo Pontificum negaverit. 3. non est odiosum neq; vile, tanquam ab adversariis ipsi inditum; sed apprime ipsi honorificum ac venerabile: quod omnes sibi usurparunt, atq; usurpant hodie Pontifices, &

1 10
n 8
200
70
400
200
- 888

ces, & in quo vehementer gloriantur, seseq; divisum
 cum omnipotente DEO imperium per terras, in ipsa
 rerum natura, habere, execranda voce jactitant: Id
 quod inter alia (quis enim omnes bullarum Papa-
 lium ampullas excutiat?) luculenter testatum facit
 illud Æneæ Sylvii Pontificis, qui se postea Pium dici
 voluit, decretum, anno Salutis M. CCCC. LIX,
 Mantuæ editum, quod Ioannes Sleidanus in com-
 mentariis suis libro 2. annotat: quo cavebat,
 ne quis à Pontifice ad Concilium appellaret, eò quòd
 supra CHRISTI Vicarium nū̄ reperiri posse diceret
 in rerum natura majus. Deniq; hoc miraculi instar
 est in hoc nomine: quòd non modo literis Latino-
 rum significativis istum numerum Antichristicum
 exhibet; sed & singula in universum huius nominis
 elementa, secundum numerum alphabeticum more
 Græcorum & Hebræorum disposita (ita me submo-
 nuit, antequam hoc tentarem, ipse Bellarm. prædicto
 lib. & cap. p. 870.) tam accedant propè, ut tribus sal-
 tem adscitis punctis eundem numerum expleant. qui
 tamen ipse defectus quid mysterii in se continet, & *re videat*
 quo pacto ritè suppleatur, alio fortassis tempore &
 loco prodam.

Unde sequitur, hoc nomen ipsius Anti-
 christi verum esse nomen, & ipsum Antichristum
 venisse, qui sit Pontifex Romanus, ordinaria succes-
 sione primatum in Ecclesia DEI sibi vendicans.

Ἀπαγωγή εἰς ἀδύνατον.

I. Quod si Antichristus nondum venit (ut Ie-
 suitæ per somnia contendunt) sequetur Paulum sine
 causa dixisse, jamtum suo tempore mysterium illud

et *ἐνομιάζει* ἐνεργεῖσθαι) coepisse, videlicet per Pseudapostolos, viam quandam ad apostasiam veræ & sinceræ fidei munientes. Nihil enim interpretantur, qui dicunt, mysterium iniquitatis hic significare persecutionem Neronis usq; ad Diocletianum, ac deinde sub Iuliano apostata, qui arte & astutia persequutus est Christianos, &c. Nam hoc non erat mysterium iniquitatis; sed aperta iniquitas, de qua etiam ipsi tandem gentiles Principes erubescabant.

II. Si Antichristus esset homo & persona singularis, non foret tantoperè metuendus: præsertim, cum Pontificii persuasum sibi habeant, ex mala intellectuione Prophetiæ Danielis 7. & 12. & Iohannis Apocal. 12. etc. Antichristi regnum saltem 3. annorum cum dimidio futurum. Imò sequeretur, minùs cum Ecclesiæ DEI incommodaturum, quàm ceteri *incommoda, ser* ones Antichristi, tyranni & hæretici, quotquot inde usque à D. Pauli & Iohannis temporibus præcurrisse à Pontificiis dicuntur. Denique & hoc sequeretur, innumeros esse, unius Antichristi præcursores: quod absurdum est. Etenim CHRISTUS ipse DEI filius hunc mundum expiaturus, unum tantum habuit sui præcursores Iohannem Baptistam. Prophetæ quidem & ipsi quodammodo præcursores CHRISTI dici possunt; sed rectiùs tamen nuntii ac præcones de futuro, non præsentem nec imminente. Solus autem Iohannes rectà subsequenter Magistrum præiit. Sicut ergo se habuit Iohannes ad CHRISTUM, h. e. præcursor ad Dominum à tergo succedentem: ita & omninò se habebunt hæretici ad Antichristum, cui dicuntur præcurrere. Eligat igitur Iesuita, utrum velit, & dicat: fuerintne ipso statim Aposto-

lorum tempore hæretici; an verò hoc demum sæculo Lutherano extiterint. Si posterius affirmarit, crasse & apertè mentietur: sin prius, eos concedat, oportet, fuisse Antichristi præcursores: quid enim aliud fuerint? Iam si præcursores illi fuerunt ipsius Antichristi, hujus utique ætatis hæretici, post tot exorti sæcula, non tam præcursores ejus, quam stipatores dicendi erunt. Absurdum namque est (quod nec Pontificii ipsi volunt) post Antichristum verum ac principalem alios minores Antichristos præcursores orituros. Hinc, velint nolint, fateri coguntur, Antichristum non multis ab Apostolorum decessione sæculis, in templo Dei, h. e. in media Ecclesia (deridendum autem est, quod nescio ex quibus Patrum testimoniis, somniisq; adeò suis afferunt, Antichristum reædificaturum esse templum Hierosolymis, & sessurum in eo: quasi verò Paulus templum Dei appellasset, quod Antichristus ædificaturus erat:) in media, inquam, Christianorum Ecclesia, in hunc usq; diem consedisse; non olim sessurum. Quid ergo? an ignorante toto Mundo, clam universo Christianorum ordine sedem istic suam ille fixit? Hoc Orbis ferre potuit, mitissimi Christi tã impatiens, ut atrocissimo Ecclesiæ tyranno Antichristo nullum indiceret conjunctis viribus bellum, cumq; de sede profligaret? Breviter respondeo: Vidit quidem Mundus; sed connixit ferè ad eius tyrannidem, quam moliebatur: quin imò locum ipsi concessit, sceptrumq; indulgit. Christianorum autem nemo id animadvertit? Fieri sanè potuit, ut pauci id ipsum (quæ ovium est simplicitas) vel animadverterint, vel satis intellexerint ab initio; multi etiam sapè non

non mali, pro amico hospite novis succedente sedi-
bus, hostem salutarint & complexi fuerint; quippe
vultum sibi qui noverat fingere. Verum enim verò
plurimi ex eo tempore insidias eius olfecerunt, do-
losq; persenserunt; lupum rapacem agnoverunt, in-
clamarunt, voce pariter & calamo clam, palam in-
sectantes, notantes, perstringentes, castigantes: Sed
malo maximam partem fato. Conversus enim ille
frequenter ad incautos pastores ac venatores, un-
gues in gutture figens, vocis iter tenuemq; intulit
sanguine vitam. Sed longius oratione progredior,
quam institueram.

III. Si Pontifex Ro. non est Antichristus, se-
queretur inter alia, istum locum Pauli. i. Epi. ad Tim.
4. v. 3. non esse de Antichristo accipiendum: quo-
modo tamen pleriq; omnes Patres ac Theologi in-
terpretantur. Quis autem est, qui nuptias ac matri-
monia prohibet, & à certis cibis abstinere jubet, nisi
Papa? Nihil est enim quod Bella. lib. de Clericis cap.
20. contendit, Manichæos & Encratitastantum ab
Apostolo notatos fuisse, qui aperte nuptias prohibu-
erint. Concedendum fortassis hoc: quod præcur-
sores hac in parte fuerint Encratitæ ipsius veri Anti-
christi. Neq; verò, si Encratitas prohibere nuptias
& cibos, hæresis fuit, Papa idem faciente, mora erit
sanctitas. Ceterum quod Bellar. dicto loco ait,
Ecclesiam Romanam non prohibere matrimonium,
aut cogere ullum ad coelibatum absolute suscipien-
dum; sed solum requirere eam conditionem in iis,
qui initiari velint sacris mysteriis; quam si quis nolit
accipere, posse non accipere, sed non initiari: hoc
omne omnino frivolum est, & ad abolendum Regni
Pontificii cauterium profus ineptum.

IV. Si larvatus ille & Utopicus Papistarum Antichristus (quem de tribu Dan, vel ex Diabolo & muliere, vel certè ex fornicaria, nasciturum ariolantur: vide Bellar. lib. 3. de. R. P. cap. 12.) apertis verbis profiteretur, esse se majorem ipso altiss. DEO Conditore cœli & terræ; ne unum quidem habiturus ille esset discipulum aut sectatorem: quia ex nimis impudenti & effusa blasphemia deprehenderent omnes, ipsi quoque Judæi, quanquam extrema, cœcitate laborantes, esse ipsum totum à Diabolo dementatum & obsessum.

V. Impossibile est, & omnem supra fidem, forte fortuna confluisse (non singulari fato & providentia Divina,) aptissimam illam elementorum significativorum seriem in producto Antichristi vocabulo (Quid enim obstat, plures esse voces ac syllabas, cum rem prorsus unam denotent?) præsertim, cum id non ex nostro ingenio aut arbitrio finxerimus; sed iisdem plane literis & syllabis ex ipsorum Pontificum ore ac scriptis transsumserimus, & primo statim intuitu, nutu Divino, hoc mysterium observaverimus, & ad infelicem Antichristum satis feliciter accommodaverimus.

Ab auctoritate $\delta\epsilon\epsilon\iota\varsigma\ \epsilon\lambda\omega\tau\epsilon\rho\iota\kappa\eta$.

Plerique patres vetustissimi, Johannem in Apocalypsi noto loco, non nisi de numero nominis bestię, h. e. Antichristi, loqui existimarunt; & rectè quidem: Inter quos Irenæus est, qui verisimile putabat, nomen Antichristi fore $\lambda\alpha\tau\epsilon\iota\theta$ aut $\tau\epsilon\tau\alpha\iota\varsigma$ quia & numerum illum, 666. literæ horum nominum efficiant, & à re ipsa non procul absint. Alii alia confixerunt

runt multifaria. Et ipse Bellarminus nobis in hoc
astipulatur, fore certum quoddam nomen Antichri-
sticū, hisce tribus senariis numeris absolutum: quod
tamen indeusque ab Irenæi tempore in hodiernum
diem inventum nondum sit, neque datum, ad eam
rem satis idoneum. Unde scurriliter & veteratorie
in clariss. nominibus D. Martini Lutheri & Davidis
Chytræi ludit, eaque ad numerum Antichristicum,
exigit; egregiam sibi laudem meruisse visus: quasi
non in mille aliis ipsorum Pontificum & Pontificio-
rum doctorum nominibus, idem facere (si dispen-
dium otii melioribus studiis debiti facere velimus)
in promptu sit. Sed parum hoc fuerit, neque sat ma-
gni momenti; licet vel in singulis summorum Ponti-
ficum nominibus istum numerum quoquomodo de-
prehendamus; nisi tale sese offerat, quod in univer-
sum omnibus Apostolicæ (Antichristicæ inquam) s
sedis interioris seu Romanæ hæredibus suppositis
congruat.

Martin Lau

כִּי־יִרְוֶה

Apostolicæ s
Interioris
Suppositis

ΣΥΜΠΛΗΡΩΜΑ.

Quare productum illud nomen verum esse ac
propriū ipsius Antichristi, qui Papa Romanus est,
nomen; ut ex iis, quæ in medium adduximus, mani-
festissime liquet, ita omnino statuendum est. ὅτι
ἡ ἐκ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ δ' ἐξ ἡμῶν

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I. Falsissima ergo est illa Bellarmini lib. 3. de
Rom. Pont. cap. 10. Conclusio, qua affirmat, verissi-
mam esse sententiam eorum, qui ignorantiam suam,
hac in parte confiteantur, & dicant, adhuc ignorari
nomen Antichristi. Et quod ibi gloriatur, argu-
mentum

mentum esse insolubile, ad probandum Romanum Pontificem non esse Antichristum, & ipsum nondum venisse; eò quòd non constet de nomine ejus id omninò futile est ac nullum. Est enim nomen ejus toti penè terrarum orbi longè notissimum ac decantatissimum.

II. Quotquot unquam se CHRISTI FILII DEI Vicarios dici voluerunt; quotquot nomen Ordinarii Pastoris Ovilis Dominici receperunt; quotquot adeò contra CHRISTI Salvatoris & Archipastoris (teste B. Petro) unici decretum & expressam voluntatem (qua de re Scripturarum loca pueris etiam sunt notissima) principatum atque imperium sibi arrogarunt in Repub. Christianorum, seu Ecclesia; quotquot item Patres & Doctores omnium Christianorum & fidelium (quod nomen ex concilio Florentino Bellar. annotat;) quotquot denique Sponsi Ecclesiæ (quod idem ex concilio Lugdunensi allegat) & similibus impiis nominibus appellari sustinuerunt: omnes illi fuerunt atque sunt Antichristus ille, de quo præmonuerunt post vatem Danielem & CHRISTUM ^{καθ' ἑσπερινὸν} Paulus & Ioannes; licet plus mille numerarentur Apostolicæ illius, seu potius Apostaticæ, sedis hæredes & successores: imò (quod Scripturæ autoritate confirmare auzim) licet omnes & singuli vitæ sanctimonia, qua <sup>ἡμεῖς τὸ δια-
δύναμι τῶν ἀνδρῶν</sup> abuterentur, & miraculis claruissent.

III. Idem hæc nunc est in Ecclesia Christiana Pontifex Rø. cum suis Cardinalib. & Monachis, quod olim in Iudaica Ecclesia, circa tempora CHRISTI & Apostolorum erat Summus Pontifex cum
Phari-

Pharisæis & scribis: nisi quòd veriùs gloriari poterant hi de ordinaria successione, ad templum Hierosolymitanum alligata, quòd sederent in cathedra Moylis, teste ipso Salvatore, Matth. 23. v. 2; quàm illi possunt, sedis Apostolicæ stellationes veriùs quam Successores: quod planiùs ac pleniùs demonstrare, alterius est disputationis. *ὡς ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας*. Si, qui sint Pontifices & Sacerdotes Ro. scire velint, legant modò allegatum caput Evangelistæ integrum, imprimis verum in eo 23. cap. tredecimum. Unde, nisi extremè cœcutiant, nisi omni ratione careant, nisi quid Dialectici Latini Assumptionem dicant, ignorent; videbunt, sentient, palpabunt, in quantam à fatis ipsorum ille, splendor & religiosa vita defitura sit miseriam; quando præcipites cœlesti fulmine ad umbras, palentes umbras Erebi, noctemque profundam acti, mendacis fiebunt ænigmata cultus.

III. Siquidem illud est probatissimum & verissimum, quòd Antichristus non sit vocabulum singularitatis in persona, sed in ordine; & verò Ordo ille in ipso Papa Antichristo pluribus nomenclaturis appellatur; ita tamen, ut singulæ propriè Romano Pontifici competant: sequitur, pluribus etiam modis numerum Antichristicum in iis absconditum reperi. Quanquam non necesse est, omnibus & singulis portentosis nominibus eum inesse. Sufficit enim, si præcipuis saltem ille insit, videlicet in quibus maximè (ut Bellar. ait) gloriatur ipse Antichristus. Tale est primò ac præcipuè illud, quod antè protulimus, VICARIUS FILII DEI: cui addam & hoc alterum: ORDINARIUS PASTOR OVILIS CHRISTI, B 4 seu:

feu: Archipastor ovilis divini: vel (quod idem est,
 agnoscente Papa) *Divus Pastor Ovilis Christiani*.
 Istos superhumanos, & honoris æmulos Divini titu-
 los, passim occurrentes, unde vel ex quibus Scriptu-
 ræ locis sibi sumserint isti *πίθικοι*, piget me ob rei in-
 dignitatem meminisse; cum alióqui sit notorium hoc
 Romani Pontificis sacrilegium. Hæc ergo primaria
 appellentur nomina; quippe quibus splendidiora,
 vel Antichristo usitatorum nefas sit invenire, dare im-
 possibile. Porro *πληροφορίας ἕνεκα* producam & alia
 adhuc totidem, quæ voco secundaria; quoniam mi-
 nus ferè, prout Antichristo convenit, dignitatis in se
 videntur continere: ut: *SERVUS DEI CLAVE PO-*
TENS, seu claves tenens: Item: *DUX CLERICI*; qui
 titulus explicat illum, qui à Bellarmino inter ceteros
 lib. 2. c. 31. *pag.* 827. collocatur, & allegatur ex tomo
 I, Conciliorum, quo Papa dicitur Princeps sacerdo-
 tum. Quòd si fortè (uti frivola sunt Romanensium
 ingenia) nominis in voce divisionem causentur, &
 omninò simplicissimam requirant Antichristi appel-
 lationem, ex meris constantem literis Arithmeticis;
 quanquam hoc videri potest impossibile; tentabo
 tamen. hem tibi: *CLIDVX*; quod est à clave du-
 cenda, vel habenda: Græcis enim est *κλειδοχός*. At-
 qui fortassis etiam in Græcorum usum volent ali-
 quod? Profectò aliquot bonis horis hoc, quod affer-
 ram, mihi constitit, donec rimando invenirem; &
ἕρα κειβάνη ἐκκλησίας, h. e. ^{omnino} *terra* pro capite Ecclesiæ sese
 venditans: seu (explicata Metonymia) terrestre caput
 Ecclesiæ. In Hebræo idem facere, non videtur
 operæ fore pretium. Quid enim ad Iudæos, huius
 linguæ

nihil nisi (quæ
 est) EXCLVDIT,
 nes, ex defraus
 verà salute.
 ipse Bellar.
 Le Ro. Ro. ca. 9.
 ma 627 di.
 2. ubi hoc
 n (terra) sim. h. e.

Pontificē sum, ecto caput, a cōmō dat: Et si (ingt) Sumus Pontifex est
 em mons; tamē nihil aliud est, q̄ terra, id est homo.

linguæ velut hæredes, Antichristus attineat; cum ne
CHRISTUM quidem agnoscant? Sed unum adhuc
merito requiri video, quo Germani nostri in sua
quoq; lingua Romanum Antichristum per omnes
numeros agnoscant. en do: *Verwalter der Kirchen*.
i. e. Dispensator ædis Dei, seu Ecclesiæ. hæc hæc-

ἀναγ. τῶν ἐπιχρημάτων.

I. At Papa non opponit se CHRISTO in fron-
tem E. non est Antichristus, & per conseq. numerus
Antichristicus ei non rectè accommodatur. R.
Nego hoc ad definitionem Antichristi requiri, ut
per omnia se ipse in frontem opponat, ac blasphemè
verbis contradicat (quanquam hoc plus satis Papa
facit:) Satis, satis (inquam) est, si ipso opere atque
facto hoc præstet. Neq; enim particula ἀντί in com-
positione semper significat contrarietatem; ut in
ἀντίδικος, ἀταγωνιστής, ἀντικείμενος, ἀντίδοτος; sed interdum
vicissitudinem, ut ἀντίδωρον, ἀντιπελαγῆρον; aut æqui-
valentiam, ut ἀντίστροφος i. æquivalens, ἀντίχειρ pollex,
qui è regione opponitur & æquipollet toti reliquæ
manui, ἀντίθεος æqualis Deo; nonnunquam etiam
(neget licet Bellar. l. 3. c. 2.) significat subordinatio-
nem. Quid enim aliud est ἀντίτυγος, quàm in eod-
em iugo respondens? quid ἀντίδουλός; nonne vas al-
lum significat subordinatum suo feudatario? ἀντίστυ-
γιος tam is dicitur qui Imperatoris vice fungitur,
quàm qui adversæ dux præest parti. Ita ergo Papa
se pro Duce Ecclesiæ obtrudit, ut veri Ducis CHRISTI
Vicarius, adeoq; ἀντίθεος haberi postulet.

II. Vnus tantum est CHRISTUS. E. etiam u-
nus erit præcipuè Antichristus. R. Concedo to-
tum,

ἀναγ. τῶν ἐπιχρημάτων
Knecht dex
vet, i. omni
nissmigg
turbatorem
Salvator

CHRISTO

tum, quod unum oporteat esse aliquem præcipui nominis Antichristum. Cedò nanq; , annon unus semper numero est Papa? Certè, nisi quando pluribus competitoribus atq; successoribus Antichristica dignitas q. monstrescit, ac sub triplici corona torpuli capite deformatur: id quod factum est anno CHRISTI 1409. & circiter, ubi tres simul erant, qui Pontifices haberi volebant; Gregorius XII. Benedictus XIII. & Ioannes XXIII. nec poterat facile iudicari, quis eorum verus ac legitimus esset Pontifex, cum non deessent singulis doctissimi patroni. referente hoc totidem verbis ipso Bellarmino lib. 4. c. 14. p. 1014. Sin hoc volunt (quod Bellar. urget;) unum solum fore in persona Antichristum, quo sigillatim extincto, nullus Cathedræ pestilentialis Successor futurus sit; nugæ. Quasi verò Antichristus non sit duraturus, donec in Ecclesia hac militante CHRISTUS (cuius opponitur) prædicabitur, & in medio inimicorum suorum dominabitur, h. e. ad ipsum extremi dici punctum. Opus itaq; ille habebit instauratione per successores: siquidem perpetuò vivere *ὁ ἴσος οὐ ἀπολλέται* in individuo non potest. Nec sequitur: cum virtus atq; bonum simplex sit & uniforme, ipsum etiam vitium unius esse tantum modi. Vide Ethic. Nicom. lib. 2. c. 6. Cetera quæ de Antichristi origine, actis & eventu, partim ex incertis Patrum conjecturis, partim ex propriis somniis fabulantur; ea sunt eiusmodi, ut ipsa se facillè destruant, & alias confutari liquidò possint.

III. Papa nonnunquam scribere se solet SERVUM SERVORUM DEI. E. Papa non est Antichristus; aut si est, cur non hic inesse ostendi potest numerus Antichristicus? R. Manifestum Papa committit, quo-

quoties hunc sibi titulum usurpat, sacrilegium. Nam quod Marci 9. v. 35. dicit Salvator: *επις δελε πρωτῶν*, *εἰς αὐτῶν ἰχάτῳ*, καὶ πάντων δίακονῶν, i. non jubet quemquam inter discipulos affectare primatum quoquo modo: 2. præscribit omnibus in genere methodum quandam præcipuæ dignitatis consequendæ, si nimirum certent inter sese meritis & charitatis officiis. 3. Si maximè respexisset h. l. Salvator ad solum Petrum; quid tamen aliud sequeretur, quàm Petrum debere ceteris esse modestiorem & officiosorem? id quod magnæ sibi laudi ac gloriæ cefsurum sit. Malè ergo hunc titulum Papa sibi accommodat: Id quod etiam Bellarminum vidisse, opinor; quandò inter 15 illa solumnia Papæ nomina, l. 2. c. 31. nullam hujusce mentionem fecit. Porro numerum Antichristicum satis erat comprehendi & observari in eo nomine, quod Antichristo summè proprium esset, adeò ut ne in toto quidem Evangelico volumine semel extaret; sed novum planè esset, & *καὶ ἄλλοι* haberet Antichristo idoneam.

IV. At cur non vulgare illud ac tritum nomen PAPA examinatur potius? R. *ἄλογον* hoc est nomen καὶ *νύπτιον*, infandæ istius bestię numerum prorsus ignorans, adeoque *ἀνοήθης*. Græcum verò *πάππας* mitius est & levius, quàm ut Antichristici numeri mensuram expleat. Neque etiam gloriosum admodum est hoc Antichristi nomen; quippe (ut dictum) vulgare juxtà & puerile; quod infantes non de Summo Pontifice (quem si cernerent triplici coronâ, & Tyrio saturatâ murice pallâ insignem, ut Manducum refugerent potius & exhorrerent, quàm amarent ulnasve ambirent) sed de patribus, aut aliòquin senioribus usurpare solent. Quòd si fortè alludunt, qui

clavi insuper
minantem,
ingeminant

hoc

hoc nomen Romano Præsuli tanquam sanctum tribuunt, ad vocabulum Syriacum ^{ܐܒܪܗܐ}, quod ter invenitur in novo Testamento, & ubiq; Patri cœlesti tribuitur; blasphemiarum notam non effugiunt.

ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

Hunc ergo bolum iste Babylonii Regis Satelles, quem nuper (ut ajunt) strenua virtus sua ad Antichristicæ Synagoga cardines evexit, interim coquat, & (si potest) pro suo sanctissimo Patre per pharmaca digerat; donec cetera ipsius, quibus tam vasta volumina farsit stipavitq;, ^{φλογισται} ab aliis doctissimis viris Theologis ordine refellantur & confutentur. Ad quam rem non tam (opinor) ingenio fuerit opus, quàm otio: quo nisi abundasset ille, fieri non poterat, ut tam crassa magnam partem mendacia atq; deliria tam ingeniose tamen fingeret, tam scitule concinnaret, & in fraudem Veritatis adornaret.

ΔΟΞΑ ΤΗ ΑΓΙΑ ΤΡΙΑΔΙ
ΚΑΙ ΜΟΝΑΔΙ ΤΡΙΣΑΡΙΘΜΩ
ΕΙΣ ΑΙΩΝΑΣ, ΑΜΗΝ.

